

Alte Drucke

**HISTORIA AVGVSTANÆ || CONFESSIONIS, || continens ||
SERIEM VARIA=||RVM DELIBERATIO=||NVM ET ACTORVM IN
CAV-||SA RELIGIONIS, EO TEMPORE, || QVO ...**

Chyträus, David

Francoforti ad Moenum, 1578/1579

VD16 ZV 30715

**SERIES DELIBERATIONVM ET ACTORVM DE RELIGIONE, IN COMITIIS
AVGVSTANIS, ANNI M. D. XXX.**

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-149583

SERIES DELIBERATIONUM ET ACTORVM DE RELIGIONE,

IN COMITIIS AVGVSTANIS,

ANNI M. D. XXX.



Vm Confessio Doctrinæ, à Iohanne Duce Saxonæ Electore, Georgio Marchione Brandenburgensi, Ernesto Duce Luneburgensi, & cæteris in hac religionis causa coniunctis, anno 1530. Augustæ, Carolo V. Imperatori exhibita, commune symbolon sit Ecclesiarum nostrarum, cui tot Principes & populi hætenus se pia voluntate & constanti zelo adiunxerunt: cumq; epitalis certaminum Ecclesiæ nostri temporis, in conuentum illum inciderit: existimaui non ingratum pijs & candidè iudicantibus fore laborem meum, si seriem præcipuarum deliberationum de Religione, à nostris Principibus & Theologis in eo conuentu Ordinum Imperij institutarū, ex authenticis monumentis eorum, qui ipsi negotijs interfuerunt, descriptam recitarem.

Filium Dei, dominum, doctorem & redemptorem nostrum, Iesum Christum, qui immensa bonitate & misericordia lucem Euangelij ad eam clarā & illustrem his postremis temporibus restituit, & confessione Augustæ Imperatori exhibita latissimè in multis gentibus propagauit, toto pectore precor, vt Ecclesiam inter nos æternam sibi voce Euangelij perpetuè colligat & seruet, & accensam in nobis veritatis suæ lucem augeat & obsignet, vt ad posteritatem, deteris erroribus & tenebris Pontificijs, pura & illibata conseruetur.

Neceffe est enim fateri multos graues morbos & perniciosos errores doctrinæ ac cultuum, & abusus, in Ecclesia Pontificia, multis iam seculis hæsisse: quorum emendationem multi pij ac eruditi, etiam ante hæc tempora ardentibus votis flagitarunt. In omnibus templis populus prostratus ad statuas, inuocarunt alij alia numina, & ab alijs alia bona, prorsus vt Ethnici à Marte victoriam in bellis, à Neptuno seruationem in mari, ab Aesculapio depulsionem morborum, ita illi à Georgio, à Christophoro, Rocho & alijs sanctis postularunt: & penè singulorum oppidorum peculiaria numina & patroni fuerunt, quorum inuocatione mentes à vera Dei inuocatione abduci sole meridiano clariùs apparet.

Catalogus errorum & abusus in Ecclesijs Pontificijs vberior, ad calcem huius operis, vna cum alijs vtilibus libellis adiungetur.

A

Cœna

Cœna Domini horribiliter prophanata & partim in theatricum spectaculum & sacrificiū pro viuis ac mortuis, pugnans cum expressis verbis Christi, conuersa, partim in quæstum collata est: & templa magis ferè ceremonijs funerū & missis pro mortuis, quàm voce concionum, aut exercitijs viuientium occupata fuerunt.

Vna pars Sacramenti populo adempta est: Altera pars etiam extra vsum institutum circumfertur & adoratur contra rationem Sacramenti.

Quantum turpitudinis & spurciciei est in immundo cœlibatu Sacerdotum & Mōnachorum, inter quos multi alioquin amantes virtutem, omnibus seculis propter hæc vota polluti sunt horrendis peccatis, & tandem in desperationem & æternum exitium præcipitati.

Quantæ superstitiones sunt in votis & vita Monachorum, qui laqueis stultarum & impiarum traditionum impliciti, plures has suas ἐσθλοθρησκείας, quàm opera lege Dei mādāta faciunt, & sua ac sui ordinis merita alijs viuis & defunctis ex purgatorio liberandis prodesse fingunt? Quanta inſcitia & neglectio ministerij Euangelici in Episcopis, qui præcipua & propria sui muneris officia, conciones verbi diuini, gubernationem studiorum doctrinæ, ordinationem ministrorum, inspectionem Ecclesiarum, disciplinam & iudicia Ecclesiastica planè negligunt? Quanta vanitas constitutionum, quæ tribuunt Romano Pontifici dominium super omnia regna mundi, & terreni simul ac cœlestis Imperij potestatem, vnde ſauissima bella sæpe exarserunt? Quàm tetri errores in doctrina sunt, quòd præcipiunt inuocationem hominum mortuorum, quæ palàm idolatrica est, tribuens creaturis honorē soli vero Deo creatori debitum. Negant hanc fidem, qua accipienda est remissio peccatorum, ita vt vnusquisq; agens pœnitentiam certò statuatur sibi peccata propter Christum remissa esse, in Scripturis contineri. Iubent manere in perpetua dubitatione, an sis in gratia Dei, an Deo placeas. Fingunt homines proprijs operibus & meritis, imò etiam venalibus missis, votis monasticis remissionem peccatorum consequi, & iustos esse impletionem legis.

Doctrinam de pœnitentia, quam maximè necessarium est extare in Ecclesia incorruptam & perspicuam, perniciosis erroribus & labyrinthis totam obscurarunt & obruerunt, omiſſa penitus doctrina de fide, qua gratuitam remissionem peccatorum propter filium

lium Dei mediatorem certò accipimus, & terrores peccati & mortis fiducia Christi redemptoris superamus. Finxerunt oportere Contritionem sufficientem esse, & hanc mereri gratiam. In absolutione addunt meritis Christi, merita sanctorum, & ordinum monasticorum, propter quæ à peccatis solui sufficienter contritos & confessos iudicant. Quantum chaos est manifestorum abusu in satisfactionibus & indulgentijs venalibus?

Quarum nundinationes impudentissimas, & tetra mendacia, ac in filium Dei redemptorem nostrum Iesum Christum contumeliosa, cum Martinus Lutherus anno 1517. pridie Cal. Nouemb. primùm editis propositionibus de tota doctrina pœnitentiæ, piè & modestè scriptis & aliàs pro concione refutaret: & postea Tecelij, & satellitum ipsius clamoribus & libellis irritatus, veritatem constanter defenderet, & paulatim plures errores & abusus taxaret: statim in acerbissima pontificis & satellitum ipsius odia incurrit: ac paulò post edita Leonis X. bulla sæuissima excommunicatus, & instigante pontifice & monachis, ab Imperatore Carolo V. in comitijs anni 1521. proscriptus est. Sed, duris vt illex tonsa bipennibus ab ipso ducit opes animumque ferro: ita Lutheri pectus ardenti zelo tuendæ veritatis ardens, non modò fractum aut languefactum his fulminibus non est, Sed tanta magnitudine animi, constantia & fide in Deo adquiescente, diuinitus armatum & confirmatum, vt maiore animo pro veritate pugnaret, & statim post promulgatam proscriptionem, duos neruos regni Pontificij, abominationes misæ priuata, & vota monastica, accuratissimis refutationibus in Pathmo editis, vt Alexander Gordium nodum, inciderit.

Interea Carolo Imp. intestinis Hispanorum seditionibus, & bello Nauarrensi, in Hispaniam reuocato, & postea continuis nouem annorum bellis Italicis implicito, etsi tristissimis calamitatibus magna pars Italiæ horribiliter vexata est: tamē, vt nihil mali permittit Deus, nisi vt aliquid boni inde efficiat: ita consentaneum est, illis ipsis bellis, Deo ita gubernante, Carolum occupatum fuisse hanc quoq; ob causam, vt absente Casare, executio edicti VVormatiensis impediretur, & doctrina Euangelij rutiùs & latiùs propagari in Germania & exteris nationibus posset.

Habita sunt interim Comititia in Germania, primùm Noribergæ, vbi, metu seditionis & grauiorum turbarum, differri executionem edicti VVorm. & Euangelion iuxta interpretationes ab Ec-

clesia receptas doceri iusserunt, & ad dirimendas religionis controuersias & corrigendos abusus Ecclesiae Romanae, quorum circiter 80. ad imminutionem libertatis Imperij pertinentes, Legato Pontificio, Principes obtulerunt: Concilium pium & liberum in Germania indici petiuerunt. Spiræ etiam anno 1526. ea libertas religioni publico decreto concessa est, vt interea, dum vel Germaniæ, vel publicum totius orbis Christiani concilium cogatur, singuli in suis ditionibus ita se gerant & doceri sinant, vt Deo & Cæsari probare suas actiones possint.

Cùm autem Carolus Cæsar, oppresso ad Ticinum Rege Gallo, & biennio post Pontifice ipso Romæ capto, & tandem Gallico exercitu ad Neapolin lue extincto, iam totius Italiæ, armis domitæ, victor, Deo iuuante, extitisset: & Pontifici ac Gallo petenti pacem anno 1529. dedisset: totus in eam cogitationem & curam incubuit, vt, compositis Religionis dissidijs, communi Ecclesiae & orbis Christiani tranquillitati & saluti consuleret.

Itaq; colloqui cum Pontifice Bononiæ, tum de cæteris rebus ad Italiæ pacem pertinentibus, tum verò de controuersiarum religionis legitima cognitione & concilio congregando decreuit. Ac vt ad tantæ rei tractationem instructior veniret, deliberationes de controuersijs Ecclesiae sibi scribi iussit: Quarum summæ à D. præceptore Philippo alicubi his verbis recitantur: Responderunt quidam, prorsus nullam mutationem doctrinæ aut rituum faciendam aut permittendam esse, nec vllam Synodum conuocandam esse, sed tantum armis delendos esse omnes & Doctores & Principes, qui labefactare præsentem tranquillitatem auderent, quia plus mali sit in exemplo admissa mutatione, quàm in morbo, cuius emendatio instituat. Semel enim tentata mutatione curiosa ingenia inuitari ad maiores mutationes.

Alij mitiores, responderunt Ecclesiam hæc horrida & Laconica consilia non decere. Primùm, quia alius finis sit Laconicæ gubernationis, alius Ecclesiae: In Laconica tantum quæri pacis conseruationem: in Ecclesia anteferendam esse gloriam Dei. Cùm autem manifestum sit multas falsas opiniones, errore, superstitione, auaricia, in Ecclesiam inuectas esse, necessariam esse emendationem propter gloriam Dei: Deinde ne quidem fore pacem, quia semper futuri sint, qui aliqua reprehendent: idq; tumultuosius facturos esse multos, quia sine publica autoritate, & sine consensu gubernato

rum

rum id agerent: Esse & manifesta libidinum scelera in cœlibatu, quæ tolli Deus præceperit, quantum fieri à gubernatoribus possit. Postremò Ecclesiam non debere Tyrannicam esse, sed propter probabiles causas lenire iniusta onera.

Athenis Solon veterum legum asperitatem mitigauit & *συνέχρηται* effecit. Sæpe & in vrbe Roma & in Imperio mitigatæ sunt nexorum calamitates. Quantò magis Ecclesiam decet lenitas, cui toties præceptum est, vt parcat infirmis? Deniq; cùm tot Principes ad Synodum prouocent, & quidem cùm vbiq; terrarum boni & docti assiduis gemitibus petant Synodum, qualis Tyrannis esset sine vlla cognitione sœuiciam exercere? Adiuncta sunt & exempla bonorum Principum, qui Synodos vtilis Ecclesiæ conuocarunt, Constantini, Theodosij, Arcadij, Marciani.

Lectò utroq; consilio Imperator & natura mitis, & alienus à Tyrannide, & non prophanus, re diu cogitata & disputata cum sapientissimis viris, tandem prætulit sententiam iustam & mitiorem, & adfirmavit se in ea perman surum esse.

Cùm igitur anno 1529. die 5. Nouembris, Bononiam Carolus Imp. ad Pontificem Clementem VII. venisset: & cæteris negocijs, de familia Medicea Florentiam reducenda, de Mediolano Sfortia tradendo, de pace Veneta &c. perfectis: Deliberatio de Lutheri causa & pace Ecclesiæ instituta fuisset: cùm consedissent Carolus & Pontifex, & hinc seniores Cardinales, Genutius, Farnesius & alij, inde Principes Hispanici & Italici astarent, Mercurinus Cancellarius longa & grauissima oratione voluntatem Caroli exposuit & Synodum flagitauit.

Huic Clemens, qui & sapiens & eloquens erat, & ad hanc tantam causam paratus venerat, in hanc sententiam respondit:

Credo ego te, Carole Imperator, & tuo iudicio reuerenter sentientem de inuocatione Dei, & incitatum laudatissimorum Principum exemplis, bono studio Synodum flagitare. Sed hac de re, in qua plurimum est periculi Ecclesiæ, prior esse mea deliberatio debet & præcipua autoritas. Nam, vt non disputem subtiliter de meo iure, hoc constat, Synodum Nicenam iussisse ad Romanum Episcopum deferri controuersias Ecclesiarum Occidentis, & nostram sedem indicare Synodos. Sæpe igitur ante hoc tempus & mecum ipse, & cum hoc Genutio & Farnesio & alijs deliberavi, quomodo Ecclesiæ paci consulendum sit, priusne in Synodores disputanda sint, an potius tantum armis opprimendi sint, qui discedunt à decretis & opinionibus antea receptis.

Qua de re cùm censẽam non indicendam esse Synodum, initio peto, ne mihi aut opibus

A 3

Romane

Pompam ingressus, & coronationis Caroli Imp. Bononiæ p. acta, luculenta narratione describit Paulus Iouius lib. 27. Histor.

Huius sedis auctoritate extincta, sequetur ἀναρχία, in qua & laxatio discipline adferet barbariem in moribus, & petulantia ingeniorum gignet sine fine noua dogmata: & moram in hoc incendio perniciosam esse cogitato.

Hæc cum dixisset Pontifex, iubet Carolus, quia decreuerat non discedere à sua sententia, Mercurinum refutare Pontificis orationem. Sed cum dicere Mercurinus cœpisset, interpellat Pontifex, toruitate vultus & vocis Tyrannidem ostendens, & his verbis obiurgat Mercurinum: Quare tu ita mihi aduersari audes, & dominum contra me incitas?

Hic surgit ad dicendum Carolus ipse. Mirantur Principes, quid iuuenis dicturus sit, & attentī audiunt omnes. fuitq; hæc grauissimæ orationis summa.

Agnosco me iuuenē esse, & huius Mercurini & aliorum sapientū consilijs vti me fateor, & debere me sapientiores audire iudico: & de hac ipsa deliberatione, quā scio pertinere ad gloriam Dei, & ad salutem vniuersi generis humani, cum multis collocutus sum, qui excellunt sapientia, virtute & fide, qui sentiunt Ecclesiæ opus esse Synodo. Nec tu ignoras voluntates omnium sapientū & bonorum in tota Europa, qui assiduīs gemitibus Synodum flagitant talem, quæ recte gubernetur. Quare cum re diu deliberata, & ijs argumentis, quæ tu opponis, diligenter cogitatis, velim conuocari Synodum, scito & Mercurinum, quæ dixit, meis mandatis dixisse, & me ab hac sententia, donec viuam, non discessurum esse. Tuum consilium speciosum & plausibile prophani videri potest: sed meū & iustum est, & Ecclesiæ cōuenientius, & si me non impederitis, Deo iuuante, spero generi humano salutare futurum esse.

Nec illa terribili oratione tua abducor à sententia, quod non sit audienda disputatio de absurdis & inextricabilibus. Nam nec omnia, quæ nunc disputantur, absurda sunt, nec sunt vlla inextricabiles quæstiones in Ecclesiæ de rebus necessarijs.

Audiui & ego mihi illud Platonicum sæpe dici: Vt parentum deliria ferenda sunt, ita in ciuitatibus & religionibus vitia quedam dissimulanda esse. Modus est eius rei, & in Imperijs, & in Ecclesiæ. Fundamentum certè in Ecclesiæ retineri oportet. Et hæc leges æternæ in imperijs & in Ecclesiæ retinendæ sunt, quæ prohibent idolorum inuocationes, & libidinem confusiones. Irreperunt autem in Ecclesiæ quedam inuocationes contumeliose contra Deum: Et turpitudō libidinum in conspectu est.

Nec tantum horum malorum emendatio Synodum requirit, sed vniuersæ doctrinæ integrum corpus colligendum est, quod vna voce omnes gentes in omnibus templis sonent. Scis enim nunc de multis magnis rebus, etiam in tuis castris, dissonos clamores esse. Cum sparserit hæc ætas quadam absurda, opponat Synodus illustria & firma testimonia, vt & hoc tempore, & in posterum minus decipiantur homines, moniri argumentis à Synodo ostensis.

Illa autem vox Pontifice indigna est, quod ais quedam inextricabilia esse. Deus immensa bonitate se patefecit, & vult nos amplecti doctrinā quam tradidit: quæ si esset ambigua, inanis sonus esset. Placet mihi autem & Theodosij consilium, qui iussit in synodo quæri & proferri te-

A 4

stimonia

stimonia sincera vetustatis. Certè enim Ecclesiam doctricem libenter audio, vt Samson mouit: Si non arasset vitula mea, non inuenisset is.

De dispensatione quam offers, quando hac fiet commodius in Synodo! Maior enim erit gentium concordia, si simul omnes talem ἐπιείκειαν precipient. Et illo dicto Heroico delector: In communi periculo sit cõmunis deliberatio. Nec defuturus sum meo officio, rebus cognit is.

Et vt cognitio possit ordine fieri, veterum Imperatorum exemplo adfuturus sum, & quantum potero, persciam, vt ha veteres leges iustissima seruentur: Vtraq; pars pariter audiat, & sententiæ non Tyrannici arbitrijs ferantur, sed iuxta leges, uidelicet iuxta doctrinam, quam certum est à Deo traditam esse.

Nunc quædiu bes ut sine dijudicatione bona & mala pariter delectam, id nequaquam faciam. Nolo enim ex Ecclesia tollere legitima iudicia & constituere Tyrannidem. Declarauit autem antea non obscure in bello meam obseruantiam erga Ecclesiam & erga sedem Romanam & erga te, quam & deinceps præstabo.

Hac Oratione audita, & Pontifex & omnes Principes ingenium & magnitudinem animi in Carolo mirati sunt. Ideo, ne magis incenderetur Carolus: placidè respondet Pontifex, se cum suo Senatu rursus deliberaturum esse.

Hæc Bononiensis actio ostendit, tunc quidē Caroli moderatam fuisse voluntatem: cui congruit & hoc, quod postea in Conuentu Augustano confessionem Ecclesiarum nostrarum sibi exhiberi iussit. Quæ omnia cogitemus ita gubernante Deo facta esse, vt Euangelij doctrina & illustraretur & propagaretur, quam propter gloriam Dei, & propter salutem nostram studiosè discamus, & agnoscentes immensa Dei beneficia, grati cum celebremus, & ab ipso assiduis votis petamus, vt nos in tantis confusionibus generis humani clementer gubernet & protegat, nec sinat nos implicari erroribus, & ex Ecclesia in tenebras ruere.

Peruicit autem Bononiæ Pontifex tandem, vt Carolus promitteret, se primum amicis & pacificis rationibus Lutheranos ad obedientiam Romanæ Ecclesiæ reducturum, aut, si pertinaciter recusarent, armis oppressurum esse.

Quo constituto, Cæsar die 21. Ianuarij dimissis in Germaniam literis, Comitibus Ordinibus Imperij Augustæ die 8. April. inchoanda, clementissimis verbis indicit, ac de dissensionibus in causa Religionis nominatim scribit, se dissidentium partiū opiniones & sententias benignè audire, cognoscere & expendere, ac in eo elaborare velle, vt præteritis offensionibus, & erratis Christo condonatis, & illis, quæ vtrinq; in scripturis secus tractata aut intellecta essent, sepositis

positis & correctis, controuersia illa ad unam simplicem veritatem & Christianam concordiam componantur & reducantur, ut de cætero una sincera & vera Religio colatur & seruetur, ut, quemadmodum sub vno Christo sumus & militamus, ita in una etiam Christiana Ecclesia in unitate & concordia viuere possimus.

His deliberationibus Bononiæ finitis, & Comitibus Augustanis à Cæsare indictis, de Coronatione Caroli Imperat. die ipsius natali, 24. Febr. solennibus ceremonijs Bononiæ peragenda, decretum est: cuius descriptionem & historiam integram prolixè & luculentè expositam qui cognoscere cupit, Pauli Iouij Historiarum librum 27. à pag. 222. 223. vsq; ad 233. vel Henrici Cornelij Agrippæ libellum, secundo Tomo Germaniæ Simonis Schardij recens insertum perlustret. Nos Religionis tantum negocia, ad conuentus Augustani historiam pertinentia, fideliter & diligenter recitare instituimus.

Cum igitur fama de pace & fœdere inter Carolum Cæsarem & Pontificem Clementem Barcinone die 29. Iunij facta: cuius vnum caput erat: *Cæsar & Ferdinandus, ut heretici in viam reducantur, operam danto: & Pontifex sacra remedia adhibeto. Quod si pertinaces perstiterint, Cæsar & Ferdinandus eos armis cogunto: & Pontifex, ut ceteri Christiani Principes ipsos pro viribus iuuent, operam dato &c.* ad Electorem Saxonie & coniunctos in eadem Religionis causa Principes perlatum fuisset: & Bonon. congressus decreta inter Cæsarem & Pontificem, de Lutheranis ferro ad obedientiam Papæ cogendis, cum lenissimis verbis, quibus in Comitiorum indictione Cæsar usus fuerat, prorsus pugnantia accederent, & triumphus Principum & Sacrificulorum veræ doctrinæ hostium, qui aduentu Cæsaris potentissimi & ubiq; victoris, Lutheranos omnes planè obtritum & deletum iri iactitabant, ubiq; personarent: magna & difficilis deliberatio optimū principem Ioannem Electorem Saxonie & in Religionis causa socios distinebat, an fidem adhibere Cæsaris literis, & ad Conuentum accedere, an vero, ut multi *ερασμειοι* suadebant, fœdere cum principibus & ciuitatibus idem sentientibus, & cum Heluetijs facto, armis occurrere Cæsari, antequam Alpes egrederetur, deberent.

Sed Lutherus, qui perpetuò pacis author suis fuerat, & constanter hætenus arma religionis prætextu sumi dissuaserat, sumta etiam, ex manibus aliquoties autoritate sua excusserat, constantissimè principes à fœdere & bello aduersus Imp. in hac causa mouendo deterret, & à DEO, cuius causa agatur, auxilium & defensionem

A 5

petere

petere & expectare firma fide iubet. Quā ut in suo ipsius & Collegarum suorum ac Principum, aliorumq; veritatem confitentium pectoribus excitaret & cōfirmaret, efficaces & firmas consolationes, opponēdas periculis, quæ Confessionem Euangelij comitantur, quas paulò post adscribam, breuibus & neruosis propositionibus comprehensas collegit ac edidit: & Psalmum, Deus noster refugium & virtus, adiutor in tribulationibus, &c. Germanico carmine, *Ein feste Burg ist unser Gott / Ein gute Wehr vnnnd Wassen / u.* diuinū planè robur animi omnia pericula & terrores intrepido & excelso pectore despicientis spirante: & Numeris Musicis, qui tristēm etiā & abiectum animū erigere & exhilarare, & velut *evangelij* possent, illustratum, in Ecclesijs decantandum euulgat.

EPISTOLA LVTHERI AD PRINCIPEM SAXONIAE ELECTO- rem IOHANNEM, Qua foedus & bellum Eu- angelij prætextu suscipi dis- suadet.

GRATIAM & Pacem in Christo, Illustrissime Princeps, Domine Clementissimi. Celsitudinis V. literas exhibuit nobis Gregorius Pontanus Doctor, &c. & Cels. V. voluntatem exposuit, cui vicissim nostram sententiam, ut potuimus inuenire optimam, scripto comprehensam tradidimus Cels. V. reddendam. Quæ ut clementer eam accipiat, reuerenter oramus.

Nam confœderationem eiusmodi nec probare, nec consulere in nostris conscientijs possumus, hanc quoq; ob causam, quod procedente fœdere & bello fortè sanguinolento, alioue infortunio inde exorto, etiam si cuperemus nos inde extricare, non possemus, & omnium illarum calamitatum intolerabilem molem ferre cogeremur, ut decies potiùs mors nobis exoptanda esset, quàm hæc conscientia sustinenda, Quod Euangelion nostrum effusioni sanguinis iniustæ & alijs malis publicis, quæ nostra culpa accidissent, causam præbuisset, cum nostrum sit pati, ac, ut Propheta inquit Psal. 44. velut oves occisionis reputari, et non nos ipsos vlcisci aut vindicare, sed iræ Dei locum præbere. Rom. 12.

Quod autem Celsitudo Vestra interea magno in metu & periculo versatur: nihil Cels. V. obest. Dominus noster Iesus Christus satis potens est & facilè inueniet media & vias salutare, quibus salua & incolumis Cels. V. euadat. Ipse cogitationes principum impiorum irritas facere, eorumq; consilia dissipare potest, ut inquit Psalm. 33.

Nam

Nam nos non dubitamus, quin hoc, quod iam animo molitur Imperator, tantum sint minae & inania terriculamenta Diaboli, quae aliquando ipsi aduersariae parti exitio erunt, ut canit psal. 7. Conuertetur labor eius in caput eius, & in verticem ipsius iniquitas eius descendet. Vult autem Christus fidem nostram (id est merito) hisce terriculamentis probare, an serio & ex animo verbum ipsius amplectamur, & certam & immotam veritatem esse statuamus. Nam si Christianis annumerari, & haeredes vitae aeternae esse volumus, non est quod fortunam nobis polliceamur meliorem, quam, qualis Christo & omnibus sanctis obtigit. Omnino necesse est Christi crucem portari. At mundus eam non gestare, sed alij imponere satagit. Nos igitur Christianos eam ferre oportet, ne ociosa iaceat aut nihil sit. Ac Celsitudo Vestra praclare & fortiter haecenus eam crucem aduersus seditionem, & grauissimas tentationes, odia amicorum inimicorumque insidias sustinuit. Et tamen semper Deus clementissimè Cels. V. liberauit, & fortiter ex celso animo confirmauit, nec ullis solatijs animi & corporis vnquam destituit. Mirabiliter etiā omnes clandestinos conatus & laqueos Diaboli detexit, perrupit ac confudit. Is deinceps quoque nostrae salutis consulat, modò credamus & oremus.

Nos quidem certò scimus, ipso etiam Deo teste, qui nobis haecenus manifestò auxilio semper adfuit, non nostram, sed ipsius Dei causam agi: quae nostra est gloriatio & consolatio maxima. Quare etiā huius suae causae, tanquam fidelis pater, patrociniū suscepit, ut fateri nos oporteat, hanc causam nullo modo, nostra sapientia & viribus ita regi, defendi & hucusque deduci potuisse. Quare supplex oro & moneo Celsitudinem Vestram, ut bono, forti & intrepido animo sit in hoc periculo. Nos, Deo dante, precibus ad DEVM nostris plus obtinebimus, quam illi omnibus minis & terriculamentis suis efficiant: modò manus nostras à sanguine puras seruemus.

Quòd si, ut non spero, res eò fortasse deduceretur, ut ego ac reliqui à Caesare citaremur: Nos ipsi nostro nomine, iuuante DEO, comparebimus, nec Celsitudinem Vestram ullis periculis nostra causa inuoluemus. Quòd antea saepe V. Celsitudinis fratri Friderico pia memoria, Domino meo Clementissimo indicaui.

Nam Celsitudo V. nec meam, nec alterius cuiuscunque fidem defendere debet: Nec id facere potest: Sed vnusquisque fidem suam ipse profiteri ac defendere, nec alterius, sed suo ipsius periculo credere aut non credere debet: cum eò res peruenit, ut summus noster Magistratus Caesar nos supplicio afficere velit. Sed interea multae aquae decurrent, & facile inueniet DEVS consilium, ut res longè aliter cadat, quam ipsi cogitant. Christus Dominus & consolator noster Celsitudinem V. confirmet & roboret. Amen. 18. Nov. 1529.

Hoc modo Lutherus Principem suum & alios semper ad pacem, & debitam ac subiectissimam obedientiam erga superiorem magistratū cohortari, & expresse testari solitus est, se nec petere nec velle, ut Princeps Lutheri causa quidquam periculi aut damni sub-

cat,

eat, multò minus bellum gerendum suscipiat. sicut mirabilis illa Epistola, octennio ante, cum ex sua Pathmo seu arce Isenacensi, in qua post comitia VVormatiensia integrum annum latere coactus fuerat, VVittebergam rediret: ad principem Electorem Fridericum scripta, clarè & prolixè demonstrat. cuius post exordium hæc verba sunt:

De mea verò causa, clementissime Princeps, ita respondeo: Illustrissima Cels. V. probè nouit, aut si ignorat, nunc cognoscat, Me Euangelion, non ab hominibus, sed tantum de cælo per dominum nostrum Iesum Christum habere: ita, ut meritò potuerim (ut deinceps faciam) me DEI seruum & Euangelistam profiteri. Quòd autem ad causæ cognitionem me obtuli, & aliorum iudicijs subieci, id, non quòd ego de mea doctrina quidquam dubitarem, sed modestiæ causa feci, ut alios inuitarem.

Postquam verò video nimiam modestiam meam vergere ad detrimentum Euangelij, & Satanam, cum vix palmum ei cedo, totum campum velle occupare: cogor, conscientia mea urgente, alias rationes inire. Satisfeci, ut spero, Illustrissimæ Cels. V. quòd hoc anno celsi, tantum ut C. V. seruirem. Nam Diabolus benè scit, non metu & diffidentia hoc à me factum esse. Cum enim VVormatiam ingrederer, ita animo constitutus eram, ut etiam si sciuissem tot Diabolos, quot in omnibus ædium testis tegulæ sunt, in me intentos esse: tamen læto & alacri animo in medium eorum in silissem. Iam Dux N. longè adhuc impar est vni soli Diabolo. Cumq; Pater inexhaustæ misericordiæ, per Euangelion nos dominos omnium diabolorum & mortis constituerit: & dederit nobis diuitias fiduciæ filialis, ut audeamus eum, carissimum Patrem nostrum, appellare: Cels. V. facile ipsa intelligit, Nos ignominia summa talem patrem affecturos esse, si non tantum ei fideremus, quòd etiam domini aduersus Ducis N. iracundiam & minas simus. Et paulò post.

Hæc Illustriss. Cels. V. scribo, ut Cels. V. sciat, Me VVittebergam redire munitum præsidio multò sublimiore & firmiore, quàm ab Electore Saxonæ mihi præstari possit. Neq; in animum vnquam induxi, à Cels. V. defensionem petere. Imo iudico Cels. V. plus à me præsidij & tutelæ habituram esse, quàm mihi præstare possit. Præterea si scirem Cels. V. velle & posse me tueri: planè non redirem.

Huic causæ nullus gladius consulere aut opem ferre potest. Solum Deum hic gubernare & agere oportet sine vlla sollicitudine & auxilio humano. Itaque in hac causa, qui firmissimè DEO fudit, is fortissimè se & alios defendet. Cum igitur videam Cels. V. adhuc valde imbecilla fide præditam esse: nullo modo tantum tribuere Cels. V. valeo, ut ab illa me defendi aut liberari ex periculis possè, statuam. Quòd autem Cels. V. cognoscere cupit, Quid ipsi in hac causa faciendum sit, cum existimet se minus quàm oportuerit hætenus egisset Respondeo subiectissimè: Cels. V. iam nimium egit, ac nihil prorsus agere debet. DEVS

bet. DEVS enim nec vult nec potest ferre, vt Cels. V. vel ego, nostris curis & laboribus nos aliquid effecturos existimemus: sibi vult totam causam gubernandam relinqui. Hæc & non alia ipsius voluntas est, ad quam se Cels. V. accommodabit. Quod si Cels. V. credit, tranquillitatem & pacem conscientiae experietur. Si Cels. V. non credit, ego tamen credo, & Cels. V. incredulitatem curis & doloribus suis angi sino, sicut omnes incredulos angi conuenit. Cùm igitur Cels. V. obtemperare (diutius me in latebris & Pathmo mea continendo) nolim: Cels. V. coram Deo excusata est, si capiar aut interficiar: coram hominibus verò, Illustrissima Cels. V. ita se gerat, vt summo magistratui, sicut Electorem decet, obedientiam præster: & Cæsaream Maiestatem, in suis ciuitatibus & regionibus, quod ad corpora & bona suorum subditorum attinet, iuxta leges Imperij gubernare sinat, nec impediat aut opponat se, nec se opponere potestati cupiat, etiam si me comprehendere aut interficere velit. Nam potestatem à Deo ordinatam nemo infringere aut ei resistere debet, præter solum Deum, quieam instituit. Alioquin seditio est & Dei voluntati repugnat.

Spero autem ea prudentia & circumspectione eos vsuros esse vt Illustrissimam Cels. V. agnoscant sublimiore loco natam esse, quàm vt Cels. V. ipsa carnicis officium aduersus me subire debeat. Si Cels. V. Illustriss. portas relinquit apertas, & securitatē itinerum liberam præstat, si ipsi aut eorum legati ad me comprehendendum & abducendum venient: tum abundè Cels. V. obedientiae summo Magistratui debitæ satisfecit. Nihil certè amplius possunt à Cels. V. exigere, quàm vt sciant se Lutherum in Cels. V. ditione inuenturos esse. Id sine ulla Cels. V. sollicitudine, labore ac periculo fieri debet.

Christus enim me non docuit, cum alterius damno Christianismum profiteri. Quod si adeo impudentes erunt vt Cels. V. sua manu me comprehendere iubeant: dicam eo tempore quid faciendum sit. Ego Cels. V. animam, corpus & fortunas, omnis damni & periculi expertem, in hac mea causa seruabo, siue id credat Cels. V. siue non credat.

His Cels. V. Dei gratiæ commendo, de cæteris, si opus erit, breui dicemus. Nam hæc literas festinanter scripsi, ne Cels. V. audito reditu meo perturbetur. Omnibus enim consolationem, non periculum, adferre debeo, si verus Christianus esse volo.

Longè alius & potentiôr princeps est, quàm Dux N. cum quo mihi negotium est. Is me & ego ipsum mediocriter noui. Si crederet Illustrissima Cels. V. tum magnalia & gloriam Dei videret. Cùm autem nondum credat

Cels. V. nihil etiam eorum vidit. Deo Gratia & laus in

æternum. Amen. Datum Bornæ, Die ci-

nerum, Anno 1522.

SELECTAE

SELECTAE SENTENTIAE VERBI DIVINI, QUIBUS SE MAR-

tinus Lutherus tempore Conuentus Augustani in summis tentationibus & periculis, quæ confitentibus veram Euangelij doctrinam eo tempore imminebant, consolatus est: Editæ exempli causa, vt alij etiam, in similibus periculis, leuationem dolorum & consolationem salutarem inde queant haurire.



VM propter confessionem verbi Diuini, ærumnæ, mœrores & persecutiones, in nos incumbunt, sicut Euangelion, quod est verbum crucis, hos comites perpetuò adiunctos habet: semper in conspectu sint sequentes rationes & loci consolationum, quæ per Dei gratiam mœrorem nostrum minuere, & nos mouere debent, vt placido, forti, & bono animo simus, & causam totam benignæ & paternæ voluntati DEI commendemus, & in ea adquiescamus. Sic enim ait S. Paulus 2. Timoth. 3. Omnes qui piè viuere volunt in Christo Iesu persecutionem patientur. & Actor. 14. Per multas tribulationes oportet nos ingredi in Regnum DEI. Et Philip. 2. Cum timore & tremore salutem vestram operamini, &c.

Primum enim causa hæc in eius manu posita est qui adeo clarè dicere audet, Nemo rapiet eam ex manibus meis Iohan. 10. Item, Matth. 16. Portæ inferorum non præualebunt aduersus eam. Et Esa. 47. Vsq; ad senectam ego ipse, & vsq; ad canos ego portabo. EGO faciam, Ego feram, Ego portabo & saluabo. Nec verò utile aut optandum esset causam in nostra manu positam esse. Nos enim leuè occasione eam perdituri essemus.

Deinde, certum est has & similes sententias viuæ & efficacis consolationis plenissimas, omnes veras & certas esse, nec vllò modo mentiri. Psal. 46. Deus nostrum refugium & virtus, adiutor in tribulationibus, quæ inueniunt nos valde. Syr. 2. Quis vnquam confusus est, qui in Domino sperauit? 1. Macc. 2. Omnes qui sperant in eum, non infirmantur. Item, Non derelinquis Domine, qui quærunt te. Præterea certò verū est, quodd DEVS vnicum Filium suum pro nobis omnibus in mortem dederit. Rom. 8. Si hoc verū est, cur adeo dolenter trepidamus, angimur, & mœremur? Si DEVS vnigenitum Filium suum pro nobis omnibus in mortem tradidit, quomodo superare cogymur paternam posset, vt nos in leuioribus miserijs desereret?

Certum etiam est, DEVM multò fortiorem ac potentiorē esse Diabolo. 1. Iohan. 4. Maior est qui in nobis est, quàm qui est in mundo. Quod si nos succubuerimus, necesse erit Christum ipsum, Regem mundi omnipotentem, vnà no-

vnâ nobiscum pati. Et vt maximè hæc causa succumberet, tamen libentius cum CHRISTO opprimi deberemus, quàm cum summa huius seculi potentia incolumes stare. Nec nobis solis hæc causa incumbit, sed plurimi sunt in multis gentibus homines pij, qui intimis cordium gemitibus & ardentissimis precibus nobis assunt & opitulantur.

Plurimas etiam amplissimas, & plenas efficacis consolationis promissiones Dei, in Psalms, Euangelijs, & in tota Scriptura propositas habemus, quæ nullo modo à nobis contemni, sed diligentissimè cognosci, expendi, & maximi fieri debent. Psal. 55. Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet, & non dabit in æternum fluctuationem iusto. Psalm. 27. Expecta Dominum, viriliter age & confortetur cor tuum, & expecta Dominum, Et CHRISTVS Sipse inquit, Iohan. 16. Confidite, EGO vici mundum.

Profectò falsum non est, id certissimè scio, quòd Filius DEI vicerit mundum. Cur igitur mundum velut victorem reformidamus? Eiusmodi certè vel vnum dictum, genibus adrepentes, vsq; Roma vel Hierosolymis petere deberemus. Sed nimia copia vilescunt & leuiùs, quàm par est, nos afficiunt.

Et si autem fides nostra imbecilla est, tamen eò ardentius cum Apostolis precemur. Luc. 17. Domine adauge nobis fidem. Et cum adolescentis patre, Marci 9. Credo Domine, sed opem fer diffidentia meâ.

Præterea hæc causa sub Romanis Imperatoribus, Maximiano, Diocletiano, ac quibusdam alijs Tyrannis, qui Christianos crudelissimè persecuti, & prorsus extirpare conati sunt, ac tempore Iohannis Hufs, atq; aliorum quorundam, multò maior & periculosior fuit, quàm nostris temporibus.

Et si hæc causa magna est, tamen qui eam cœpit, gubernat, & promouet, multò maior, imò omnipotens conditor cœli ac terræ existit. Certè enim non nostra causa est. Cur igitur propter eam nos sine intermissione cruciari, & tandem mortem nobis ipsi attrahere volumus?

Si causa & doctrina hæc falsa est, cur eam non reuocamus? si vera est, vt est verissima, quàm certò DEVS est & in æternum manebit, cur mendacij arguimus DEVM in suis multiplicibus, consolationū plenissimis, immotis & æternis promissionibus? Iubet nos in ipso lætari & exultare. Psal. 32. Lætamini in Domino & exultate iusti, & gloriamini omnes recti corde. Psal. 145. Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate: voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & saluos faciet eos. Psal. 91. Quoniam desiderat me, liberabo eum, protegā eum, quoniam cognouit nomen meum: clamaui ad me, & ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum, longitudine dierum replebo eum, & ostendam illi salutarem meum.

Quòd si etiam vehementer solliciti & anxij simus, quid aliud inanibus curis nostris proficimus, nisi vt nos ipsos adfligamus & excruciemus, & omnia deteriora reddamus? Ipse vult vt se Deum ac patrem nostrum in Christo cognoscamus, in omnibus periculis inuocemus, ac certò credamus, quòd ipse nostri curam agat, vt Petrus testimonio ex Psalmo 55. desumpto scribit: Omnem
vestram

vestram curam in ipsum proijcite : Quia est sollicitus pro vobis. Et Matth. 6. CHRISTVS ipse inquit: Ne sitis solliciti.

Nec quidquam Satan & ipsius organa nocere nobis amplius possunt, quàm vt corpus occidant: animam ne quidè attingere possunt, vt CHRISTVS ipse loquitur, & suos consolatur Matth. 10. Ne metuatis vobis ab his, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.

Christus Dominus ac Saluator noster semel pro peccato mortuus est, vt Rom. 4. 6. Ebræ. 5. & 9. scribitur: deinceps pro veritate ac iusticia non amplius morietur: Sed viuit ac regnat Omnipotens Dominus omnium Creaturarum. Si hoc verum est, vt Scriptura constanter testatur, Quid ergo timemus?

Nam vt maximè propter confessionè verbi diuini nobis occumbendum esset, DEO sic gubernante, tamen omnipotens & misericors DEVS, qui noster est Pater, propter CHRISTVM, etiam coniugum ac liberorum, viduarum ac pupillorum nostrorum clementissimus pater & beneficus Oeconomus, defensor & protector futurus esset, & omnia millies rectius, quàm nobis viuenti bus, expediret.

Nostri proauis & maiores hunc summum & preciosissimum Thesaurum, videlicet rectum & purum VERBI diuini intellectum, nunquam sunt assecuti, quemadmodum nos DEI gratia opulentè habemus, quibus hoc beato & felici tempore viuere concessum est, quo paulò ante nouissimum diem, incorrupta vox verbi cœlestis gratuita DEI misericordia ac paterna bonitate nobis cōtigit. Idem DEVS, nobis mortuis, DEVS & creator manebit, vt semper fuit, & colliget ac seruabit sibi cœterum aliquem vsq; ad mundi finem, nec nobiscum morietur aut desinet, vt nos imbecilla fide præditi opinamur.

Ita Sacerdoti ELI videbatur tota Ecclesia & Politia Iudaica, cum Sacerdotio ac regno suo penitus interitura, cùm Philistæi arcam Domini ipsis eripuissent. Ipso verò ex sella tristi lapsu deiecto & mortuo, 1. Reg. 4. florentior erat totius Iudaici regni status, quàm antea fuerat.

Ita cùm REX SAVL seipsum confoderet, cùm exercitus eius prostratus esset, & tres ipsius filij in eadem pugna occubuisent. 1. Reg. 31. quid aliud cogitari potuit, quàm Regnum Iudeorum prorsus concidisse? Sed paulò post, tempore DAVIDIS ac Salomonis ad summum potentiæ & gloriæ gradum peruenit.

Cùm Papistæ Iohannem Hufs in Concilio Constantiensi Anno Christi 1416. combussissent, planè triumphabant, certò persuasi, se Papatum hac ratione primùm in summam dignitatem extulisse. Sed nunquam Papa tam fuit ab omnibus extremè spretus quàm post illud tempus.

Deinde per Verbum DEI certissimè confirmati & non dubij sumus, post hanc fluxam atq; miseram vitam, de qua retinenda, ne quidem ad momentum oculi certi esse possumus, æternam ac beatam vitam & regnum subsecuturum esse. Alioquin primum præceptum actotum Euangelion & Sacra scriptura funditus abolenda esset. Quid enim opus nobis esset DEO propter hanc tantum caducam & mortalem vitam, in qua omnium optima conditio est eorum, qui nullum

nullum habent vel agnoscunt DEVM? Si verò est DEVS, vt omnium fidelium corda firmissimè ac indubitanter credunt, & in hac fide viuunt & moriuntur: non tamen hic exiguo temporis spacio, sed eo loco, vbi ipse est, perpetuò viuemus.

Certè primum præceptum nostros liberos & posteros, ceu sub tutelam ac protectionem DEI collocat, vbi DEVS ipse inquit, Misericordiam facio in multa millia his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea.

His summis & consolationum plenissimis promissionibus diuinæ Maiestatis meritò credimus: & quamquam imbecilla & languida fides est, tamen tribuimus DEO hunc honorem, quòd, quæ dicit ac promittit, etiam possit ac velit præstare.

Si hæc omnia DEVS per angelum nobis nunciari sineret: tum fortè non ita facillè velut inani sonitu nostras aures perfluerent, sicut nunc accidere videmus, cum per verbum nobis proponuntur. Sed si verbo vocali non vellemus credere, certè Prophetas, Apostolos & Christum ipsum nequaquam aspernari deberemus, qui omnes ita opulenti nobis concionantur & consolationibus dulcissimis nos blandissimè admonent & inuitant, & ferè obruunt: cum toties has sententias repetunt: Gaudete in Domino, confidite, & confortetur cor vestrum. Nolite timere, sperate in Domino, expromite cor vestrum in conspectu illius. Gratias agite DEO. Confidite. Ego vici mundum. Propè est Dominus, ne sitis solliciti. Quòd si his multiplicibus diuinis consolationibus non credimus, tum profectò non crederemus, etiam si non vnus sed multi Angeli venientes nobis ista annuntiarent.

Certum etiam est, Etiam si aduersarij nos omnes trucidarent DEO permittente, tamen non inultum fore.

Ille ipse enim breui eos esset alloquuturus, qui ad Cain dixit: Vbi est frater tuus Abel? & profugos, ac mundum ipsis nimis angustum facturum esset. Placidè igitur ac læto animo, in hac causa ad nominis & verbi diuini professionem pertinente simus. Nam CHRISTVS, cuius est propria, aduersus Diaboli astutias, & fallacis ac peruersi mundi Tyrannidem, eam optimè defendet atq; conseruabit, & hos, qui eum coram adultera hac generatione confitentur, ideòq; persecutionem patiuntur, vicissim confitebitur coram patre suo cœlesti, & perpetua gloria ipsorum crucem compensabit. DEVS ipse ait 1. Reg. 2. Glorificantes me glorificabo. Licet igitur maris fluctus immensi sint, & horrendum sonent, ac iam nos mersuri videantur: nihilominus tamen DEVS, qui in altis habitat, & regnum suum per totum orbem terrarum constituit, vt sit perpetuum, multò maior, imò omnipotens est. Is felices successus & exitum ac finem optatum largietur. Amen.

Quapropter nulla alia ratione fieri potest. Si CHRISTVM habere & perpetuò cum ipso viuere & regnare volumus, priùs nos hic vnà cum eo pati oportet.

Quòd cum ita sit, cur mortuorum Idolorum minas ac furores pertimescimus? de quibus Psal. 2. scribitur: DEVM in cœlis irridere eos. Cum igitur

B

æternus

æternus & omnipotens Cæsar, qui DEVS vocatur, ipsos rideat, ac eis illudat: cur nos ipsos timeremus, & mœrore ac luctu conficeremur? DEVS certè non suo nomine ipsos ridet, cui in cœlis habitanti, nihil eorum ira ac furor nocere potest, Sed propter nos, vt & nos concepto animo virili ac pectore magnanimo, omnia ipsorum consilia, molitiones, & conatus rideamus. Quare hoc solum nobis in hac causa necessarium est, vt credamus & firma fiducia in nomine CHRISTI petamus, vt DEVS, qui regnum suum constituit, opus manuum suarum confirmet & seruet. Ipse sine omni nostra opera, consilio, cogitationibus, causam hanc cœpit, & hucusq; rexit, promouit, & conseruauit: Eundem planè non dubito sine nostro consilio & auxilio, hanc ipsam causam ad exitum salutarem & optatum esse deducturum. Scio enim (inquit Paulus) in quem credam, certus etiam sum, eum plus posse dare, excellentius facere, consulere & opem ferre, quàm nos petimus & intelligimus. Nomè illius est DOMINVS, qui miraculosè, omnipotenter, & gloriosè potest, & vult opitulari, & quidem tum, quando summa est necessitas. Nos homines sumus, non DEVS, verbo ipsius nos consolemur, & promissionibus ipsius nitentes confidenter in die tribulationis eum inuocemus: Tunc certè nos exaudire & eripere vult. Hæc summa est. Nec aliter ista regi aut mutari possunt, aut perpetuis curis nos conficiemus, & perpetua anxietas merces nostra futura est. Quod prohibeat æternus DEVS, propter dilectum filium suum, Saluatorem & æternum Sacerdotem nostrum IESVM CHRISTVM. Amen.

His consolationibus & consilijs cùm animos suorum Lutherus confirmasset, & ardenti precatione causam totam publicè & priuatim Deo assiduè commendaret: Deliberationes de Confessione seu summa Doctrinæ in ditionibus Electoris Saxonie & coniunctorum Principum sonantis, breui scripto complectenda, quod Imp. Carolo, qui partium dissidentium opiniones & sententias se auditurum esse significauerat, in Comitijs exhiberi posset: & de ijs, quæ concedi Aduersarijs publicæ pacis causa piè deberent: institutæ sunt.

Composuit igitur Lutherus, antequàm iter Augustanum ingrederetur, Articulos XVII. quibus Christianæ fidei & Doctrinæ publicè in Ecclesijs populo proponendæ, & præcipuè ad animarum salutem & veram pietatem utilis ac necessariæ summam, omissis disputationibus Scholasticis, & populo erudiendo non necessarijs &c. complexus erat. Iusserant & cæteri Principes ac ciuitates, Lutheri doctrinam amplexi, singuli suos Theologos summam Doctrinæ in Ecclesijs suarum regionum sonantis, scripto comprehendere. Quæ omnia, & in his aliqua, prolixitate etiam molesta perlegere

perlegere Augustæ D. Philippus & censere coactus est: Quod in vita ipsius Camerarius recenset. Sed hos septendecim Articulos à Luthero delineatos præcipuè Philippo in scribenda Confessione propositos fuisse testantur eadem verba & phrasæ in aliquot articulis retentæ, & ordo ac series articulorum ferè similis, & Epistola Iohannis Electoris ad Lutherum data, quam suo loco intexam.

Vt igitur hic Archetypus Confessionis Augustanæ, qua velut communi Symbolo nostræ Ecclesiæ hætenus vtuntur, in conspectu sit: XVII, illos Lutheri Articulos subiungam.



B 2

CON-

CONSOLATORIVM

perlegit et Augustinus de Trinitate & contra eos scripsit. Quod in vi-
 sa ipsius Consolationis tractatu. Sed hoc est in Consolatione
 Trinitatis de Trinitate & contra eos scripsit. Quod in vi-
 propositionis Trinitatis & contra eos scripsit. Quod in vi-
 culis recitatur & ordo ac tractatus Trinitatis & contra eos
 Johannis Hieronymi ad Paulinum de Trinitate & contra eos
 Vi ipsius Trinitatis & contra eos scripsit. Quod in vi-
 in communis Trinitatis & contra eos scripsit. Quod in vi-
 ipsius Trinitatis & contra eos scripsit. Quod in vi-



CONF. B. a